



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXXV. Ioannis Papae VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Mash. 5.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Et ut ita hoc per orbem terrarum vestræ sponsionis diffametur, ut auxiliante Domino, & sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, ea quæ saluti & utilitati omnium vestrum proficia sunt, possimus ad honorem & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ incunctanter perficere, sicut nomine vestro scripta nobis mandasti, ita in libro cœlesti scripta nobis permaneant. Quapropter mandamus, ut reuertente ad vos dilecto episcopo vestro, idoneos legatos vestros præsentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium vestrum nos & sedem apostolicam consulant de his quæ mandasti, ut & nos cum illis missum nostrum dirigamus ad vos, quibus secundum morem & consuetudinem ecclesiæ nostræ, vniuersus populus vester fidelitatem promittat. Interim monemus, ut constantes permaneatis, quoniam scriptum est: Melius est votum non mouere, quam post votum promissa non implere. Spiritus Domini, qui orbem terræ repleteuit, repleteat vestrum cor omni pace & gaudio in Christo Iesu Domino nostro.

Eccles. 5.

EPISTOLA CCLXXXV. IOANNIS PAPÆ VIII.

*Laudat eius studium erga sedem apostolicam, eumque monet,
ut perseveret. polliceturum a se in amicorum numero
referri. præcipit ut Romam veniat.*

SIC VIT nobis per literas tuas, & verbo tenus, per Deus dedit religiosum presbyterum tuum mandasti, ut fidem & deuotionem, quam circa sedem apostolicam habere debes, te velle toto conamine conseruare indiminutam afferas, grataanter suscepimus. Vnde te omnimeodis admonemus, & his apostolicis literis exhortamur, ut nulla inimicorum calliditas, vel seduictio amplius a nostra fidelitate quoquomodo valeat te remouere; sed secundum sponsionis tuae tenorem in ea deuotissime permanere procedures. Quapropter scito quia sine omni dubietate inter dilectos nostros te retinere volentes, volumus etiam & præcipimus, ut & pro necessitate ecclesiæ tuae, & pro tuae causa utilitatis, Romæ ad nostram apostolicam præsentiam

præsentialiter venire indubitanter procures : quia & statum sanctæ Rauennatis ecclesiæ in columem conservare, tuumque profectum & honorem perficere , auxiliante Domino , cupimus.

EPISTOLA CCLXXXVI.

I O A N N I S P A P Æ V I I I .
A D I M P E R A T O R E M .

Gratulatur de eius obseruantia erga Romanam ecclesiam.
lætatur ipsum Rauennam venire velle , vt de ecclesiæ
& imperii statu agat. rogat vt ante diem , quem præsti-
tuerat , accedat.

Ad imperatorem.

R E C E P T I S serenitatis vestræ literis , atque perlectis,
ac sicut nobis per Ioannem Venticinensem episco-
pum verbo tenus mandaftis, quia cognouimus vos hono-
rem sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ , & salutem
terra ipsius toto conamine velle perficere , exultantes su-
mus animo gauisi. Porro sicut mandaftis vt die purifica-
tionis beatæ Mariae semper virginis Rauennæ venientes
simul coniuncti fuifsemus pro ad considerandum , cum
Dei auxilio , & peragendum profeclum sanctæ Dei eccle-
siæ , & statum imperii vestri ; nos autem & hoc libenti
animo recipientes, volumus quarto die ante iam dictam
festiuitatem vos ibi adesse , quia & nos ita desideratissime
cupimus vobis cum simul coniungi , & vestram petitionem
libenter adimplere, si , Domino annuente , sanitas corpo-
ris diuinitus concessa fuerit. Et quoniam , sicut audiuimus,
vos laborem atque certamen pro ecclesiæ Dei statu,
& imperii vestri in columitate , atque communi Christianorū
salute, pio affectu cupitis perficere; his apostolatus
nostrī literis admonemus & exhortamur vt magis ac magis
in hoc vestra imperialis sollicitudo proficiat : hoc glo-
riam vestram obsecramus , & magnitudinem vestram,
vt cum in has partes venire cœperitis , Supponem glo-
riosum comitem , & communem fidelem vobis cum ve-
nire iubeatis.

T t iii